

I. <sup>a</sup>UNIVERSALES LITTERAE DE EXACTIONE DUCILLARI<sup>a</sup>

Sigismundus etc. Universis et singulis principibus, tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis et reverendis in Christo patribus dominis, archiepiscopis, episcopis necnon magnificis, generosis, nobilibus, famatis et<sup>b</sup> providis, palatinis, castellanis, capitaneis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vicesgerentes, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam consiliariorum nostrorum, spiritualium et saecularium, magistris civium, consulibus et communitatibus et generaliter omnibus subditis, tam nostris, quam consiliariorum nostrorum, quorumcunque cuiuscunque status, condicioneis et praeeminentiae existentibus, bona quaecunque tam spiritualia quam saecularia, civitates, oppida villas, tabernas, possessiones et alia bona quoquaque nomine appellata habentibus, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

[1]. Cum nemini obscurum esse sciremus nunquam tutos fines regni nostri a furtivis hostium incursionibus futuros, si nullis certis militum praesidis inveniantur, quamobrem aedictis Cracouiae comitiis egimus cum senatoribus et terrarum nuntiis diligenter, ut ratio aliqua iniri possit qua furtu latrocinia et incursions hostium inhiberi possent. Quia tamen modus hoc tempore decerni nullus alias potuit, quam ut motio generalis belli indicaretur, eam nos rationem secuti sumus, quae nobis praeemanibus fuit atque motionem ipsam nobilitatis generalem decrevimus. Quam quoniam videremus, serum nimium futurum praesidium finibus contra repentinis hostium insultus. Si quos primo ineunte vere, quod omen Deus procul avertat, facere vellent in eam curam toti cum consiliariis nostris incubuimus, ut constitueremus ne inter ea, dum generalem expeditionem apparamus, dominia nostra hostibus vicina detrimentum capiant, qui et, si amicos se nobis et foederatos profitentur, in omnes tamen occasione intenti sunt, ut regnum nostrum invadere praedas ex eo agere possint et cum ad id propulsandum milite mercenario opus esse videremus, unde vero pecunia quae illi numeraretur colligenda esset non inveniremus, eo nobis necessario decurrentum fuit, ut in civitatibus, oppidis<sup>c</sup> ac villis nostris regiis ducillare tributum quod *czopowe* vocant, institueremus atque ea pecunia militem in finibus regni aleremus. Ad quam rem quum nobis reverendissimus in Christo pater dominus archiepiscopus et ceteri episcopi omnes cum nonnullis aliis consiliariis assensi essent, atque tributum hoc *czopowe* in oppida et villas suas suscepissent, visum est nobis consiliariisque nostris praedictis, ut hanc contributionem in annum hunc in civitatibus, <sup>d</sup>oppidis et villis<sup>d</sup>, tam nostris, quam superius scriptorum consiliariorum nostrorum tam spiritualium quam saecularium, incipiendo a dominica Letare proxime ventura anni praesenti [4 IV 1546], usque ad aliam dominicam Letare sequentis anni MDXLVII [20 III 1547], secundum veterem consuetudinem, institueremus et indiceremus ita, ut instituimus et indicimus praesentibus litteris modo scilicet<sup>e</sup> infrascripto:

[2]. Ut quilibet cerevisiam coquens venalem, ex quibuscunque braseis fuerit eadem ipsa<sup>f</sup> cerevisia cocta, hoc est sive brsea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendino provenientia et emensurata, sive domi facta, a qualibet coctura ipsius cerevisiae iuxta locorum consuetudinem antehac observatam tributum ipsum ducillare sive *czopowe* in manibus exactorum infrascriptorum fideliter solvat, ita ut a maiori coctura alias *waru* plures grossi solvantur et a minori pauciores iuxta veterem consuetudinem uniuscuiusque loci et exactorum ordinationem, quam ubi opus et quotiens<sup>g</sup> expediens erit nostra auctoritate facient et constituent modo, ut a veteri more non dissentiat. Notariosque et custodes, tam in civitatibus et oppidis quam etiam in villis pro exigenda huiusmodi tributione<sup>h</sup> etiam deputabunt et<sup>i</sup> iuramento corporali ad fidelitatem eos astringent.

[3]. Ternarii vero vetusto more circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur.

<sup>a-a</sup> W MK<sub>2</sub> *tytuł brzmi*: Aliae litterae huiusmodi praescribendum modum contributionis eiusdem. W MRPS, cz. IV, vol. I (nr 7642, s. 439): Litterae universales regiae de colligenda exactione ducillari pro alendis militibus in confinibus regni laudata. *Ibidem*, cz. IV, vol. 3 (nr 22263, s. 259): Litterae universales de exigenda exactione ducillari in proxima conventione Cracoviensi laudata iuxta litteras contributionis. <sup>b</sup> Brak w MK<sub>2</sub>. <sup>c</sup> et oppidis MK<sub>2</sub>. <sup>d-d</sup> et oppidis ac villis MK<sub>2</sub>. <sup>e</sup> videlicet MK<sub>2</sub>. <sup>f</sup> Brak w MK<sub>2</sub>. <sup>g</sup> quoties MK<sub>2</sub>. <sup>h</sup> contributione MK<sub>2</sub>. <sup>i</sup> a MK<sub>2</sub>.

[4]. Tabernatores vero singuli cerevisiam coquentes vel coctam a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes, secundum itidem veterem morem et consuetudinem exactoribus exsolvere teneantur.

[5]. Item a medio vase vini alias *polkuffek*<sup>j</sup> florenus triginta cum quadrantibus<sup>i</sup>.

[6]. Item a *drehlink*<sup>k</sup> sive Seremiensi vase vini duo floreni cum sexaginta quadrantibus solvendi.

[7]. Item a qualibet barili malmatici sive vini Italici unus *horth* cum septem ternarii.

[8]. A barili vero simplicis vini duo grossi cum duobus ternariis.

[9]. A medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis.

[10]. A cerevisia advectitia sive externa, ut Swidnicensia<sup>l</sup>, Glogoviensia, Tessinensis<sup>m</sup>, Bernoviensia et alia quacunque a quolibet vase duo grossi.

[11]. Et quicunque non soluta prius exactione praefata cerevisiam, vinum, malmaticum, medonem et alium quemcunque potum ex predictis vendere et propinare in fraudem huius constitutionis praesumperit, totum illud in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et poenam nostram regiam, quotiens id fecerit, solvere teneatur.

[12]. Ad quodquidem tributum ducillare alias *czopowe* exigendum in civitatibus, quidem oppidis ac villis nostris liberis, capitaneos nostros in obligatis vero tenutarios constituimus, potestatemque<sup>n</sup> illis ita<sup>o</sup>, ut superius scriptum est, facimus, ducillarem hanc contributionem exigendi et ad eam exigendam alios in locum suum sufficiendi in oppidis vero civitatibus<sup>p</sup> et villis consiliariorum nostrorum, tam spiritualium quam saecularium, qui pro se ad eam contributionem assensi nobis sunt. Ipsi illam per<sup>q</sup> suos factores et exactores exigere atque fisco nostro ita exactam inferre bona fide tenebuntur.

[13]. Quamobrem omnibus et singulis cuiuscunque status et condicionis, tam nostris, quam consiliariorum nostrorum praedictorum, subditis interest mandamus, ut tributum hoc ducillare ita, ut superius scriptum est, per nos indictum in manus capitaneorum tenutariorum et dominorum suorum aut eorum quos ipsi exactores constituerint, conferant. Capitaneos vero tenutarios hortamur ac mandamus, ut hanc operam suscipiant atque ad superius scriptam rationem ducillare hoc tributum exigant, in rebelles vero et huic constitutioni contravenientes pro recepto more animadvertant atque ad hoc tributum conferendum pro auctoritate sua adigant. Pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Cracouiae in conventione generali feria secunda ante festum sancti Mathiae Apostoli proxima<sup>r</sup>, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo sexto [22 II 1546], regni vero<sup>s</sup> nostri quadragesimo. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

## II. LITTERAE RESTIUM

### A. <sup>a</sup>Litterae restium primae<sup>a</sup>

Sigismundus etc.<sup>b</sup> Universis et singulis palatinis, castellanis, dignitariis, officialibus, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis<sup>c</sup> ceterisque cuiuscunque status, conditionis, praeminentiae<sup>d</sup> subditis nostris, bona quaecunque terrestria, hereditaria et obligatoria possidentibus et ad expeditionem bellicam generalem de iure vel consuetudine regni nostri obligatis, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam.

Magnifici, generosi, nobiles et famati, sincere nobis et fideles dilecti. In iis comitiis quae proxime<sup>e</sup> Cracouiae habuimus summa cura laborabimus, ut publico omnium ordinum consensu

<sup>j,j</sup> florenus cum triginta quadrantibus MK<sub>2</sub>. <sup>k</sup> drelink MK<sub>2</sub>. <sup>l</sup> Szwidnicensia MK<sub>2</sub>. <sup>m</sup> Theszinensis MK<sub>2</sub>. <sup>n</sup> potestatem MK<sub>2</sub>. <sup>o</sup> Brak w MK<sub>2</sub>. <sup>p</sup> illis civitatibus MK<sub>2</sub>. <sup>q</sup> pro MK<sub>2</sub>. <sup>r</sup> Brak w MK<sub>2</sub>. <sup>s</sup> Brak w MK<sub>2</sub>.

<sup>a-a</sup> *Nagłówek* wzięty jest z MK<sub>2</sub>. W MK<sub>1</sub>: Deinde litterae primarum restium quarum tenor est iste. W G. Sier.: Restium littore prime. <sup>b</sup> Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc., MK<sub>2</sub>; Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lythuanie, Russie, Prussie, Mazowie etc. dominus et heres G. Sier. <sup>c</sup> scultetis et civibus MK<sub>2</sub>, G. Sier. <sup>d</sup> et praeminentiae MK<sub>2</sub>, G. Sier. <sup>e</sup> proximis G. Sier.